

tum omnibus dominicis aliisque diebus qui ex præcepto adhuc servantur, tum illis etiam qui, ex hujus apostolicæ Sedis indulgentia, ex dierum de præcepto festorum numero sublatis ac translatis sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII constitutio in pleno suo robore vigeat, antequam festi de præcepto dies imminerent et transferrentur. Quod vero attinet ad festos translatis dies, id unum excipimus ut scilicet, quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicum diem, una tantum missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem missa, quæ præcipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet.

» Nunc vero paterni animi nostri caritate illorum parochorum tranquillitati prospicere volentes, qui, ob assertam consuetudinem, memoratis diebus missam pro populo applicare omiserunt, eosdem parochos ab omnibus quibusque præteritis omissionibus auctoritate nostra apostolica plenissime absolvimus. Et quoniam non desunt animarum curatores qui peculiare aliquod reductionis, ut dicunt, indultum ab hac apostolica Sede obtinere, concedimus ut ipsi hujusmodi indulti beneficio perfrui pergant juxta tamen condiciones in indulto expressas, et donec parochorum officium exercuerint in paræciis quam in præsentiarum regunt et administrant.

» Dum autem hæc statuimus et indulgemus in eam profecto spem erigimur fore, venerabiles fratres, ut parochi majore usque animarum studio et amore incensi huic obligationi applicandi missam pro populo diligentissime ac religiosissime satisfacere gloriantur, serio considerantes uberissimam celestium præsertim munerum ac bonorum copiam, quæ ex hac incruenti divinique sacrificii applicatione in christianam plebem eorum curæ commissam abunde redundat. Cum vero nos minime lateat peculiare casus contingere posse in quibus pro re ac tempore aliqua hujus obligationis remissio parochis sit tribuenda, sciat velimus ab omnibus nostram concilii congregationem unice esse adeundam ad hujusmodi obtinenda indulta, illis duntaxat exceptis qui a nostra Congregatione fidei propagandæ præposita pendent, cum opportunas utrique Congregationi contulerimus facultates. »

Quo magis eluceat mens zelantissimi Pontificis, hic subjungemus duo documenta ex archivio cancellariæ episcopalis Atrebatensis desumpta :

« Beatissime Pater. — Episcopus Atrebat. in Galliis, ad pedes S. V. humiliter provolutus exponit quod, juxta constit. Urbani VIII, *Universa per orbem*, et litteras vestras encycl. *Amantissimi*, diei 3 maii 1858, suæ diocesis parochi alique curam animarum habentes pro populis sibi respective commissis sacros. Missæ sacrificium fideliter offerant, tum omnibus dominicis diebus aliisque diebus qui ex præcepto adhuc servantur, tum illis etiam qui, ex apostolicæ Sedis indulgentia, de

serie dierum de præcepto festorum sublatis atque translatis sunt, quæ quidem obligatio, licet in se omni pietatis obsequio dignissima, ob varias tamen in quibus versantur circumstantias, parochis supradictis onerosa difficilisque effecta est. Non latet enim T. S. quod in Galliis nunc ob infaustissimam rerum perturbationem quæ ultimo præteriti sæculi posteriores annos affectit, opera quæ vel religionis cultum, vel caritatem, vel animarum salutem spectant, non nisi promovente fortiterque adjuvante clero ad felicem exitum sint perducenda. Hinc fere semper ex parte parochorum, pro fidelium incitamento, impensæ aliaque multa sacrificia hujus generis, quibus perferendis vix ac ne vix quidem sufficiunt stipendia quæ ipsis vel ex gubernio vel ex populorum oblationibus obveniunt, præsertim ex quo, recentioribus hisce annis magis ac magis in dies increpat pretium omnium rerum victui necessariorum. Aliud insuper hic et nunc exurgit opus, denarium scilicet Sancti-Petri, cui promovendo et ubique per parochias dilatando allaborare exemplo præsertim suo gestit clerus in testimonium præstantissimæ erga Sedem apostolicam devotionis. Quocirca supradictus episcopus Atrebat. humiliter T. S. supplicat quatenus dignetur, pro sua benignitate et vi auctoritatis apostolicæ, 1^o obligationem supra memoratam pro populo offerendi, ultra omnes anni dominicas et festa de præcepto in Galliis, reducere ad quatuor sequentes festivitates scilicet Circumcisionis D. N. J. C., Purificationis, Nativitatis et Immaculatæ Conceptionis B. M. V. quemadmodum pluries aliquibus diocesis concessum est; 2^o Si quod festum cui annexa prædicta obligatio occurrat in diebus quibus in civitate episcopali piis recollectionis annuæ exercitiis vocantur parochi, ab illa pariter eximantur; tum quia, durantibus illis exercitiis ab offerendo abstinere, tum quia non minimas subeunt impensas pro itu simul et reditu ad suas respective parochias. Cujus dum sperat felicem supplicationis exitum, Vestræ, Beatissime Pater, Sanctitati prosperos in summo Pontificatu et perlongos annos optat et precatur a Domino, B. V. humilimus atque obedientissimus servus et filius, 23 nov. 1860. »

Responsum fuit negative, his verbis :

« Reverend. Domine uti Frater. — Preces quas in litteris, die 23 nov. anni proximo elapsi, Sanct. D. N. Amplitudo tua obtulit ut obligatio missæ pro populo diebus e numero festorum de præcepto expunctis offerendæ a parochis tuæ diocesis imminuatur, juxta institutum hujus Sacræ Congr. Tridentino juri interpretando præpositæ, relatæ sunt eidem Sanctitati Sæ. Quæ porro non ignorans quot et quantis ipse, amplissime domine, virtutibus episcopalibus præfulgeas, optatis tuis libentissime obsecundare voluisset. At vero consideravit eam hac in re receptam esse ab apostolica Sede normam ut, quando aliquis hujusmodi adhibendæ indulgentiæ casus intercedat, parochi singulariter preces offerant, quibus, accedente episcoporum

commendatione, peculiare circumstantias exponant ob quæ oblati precibus annuere in Domino expediat. Neque enim mos est eas causas et impedimenta æqui bonique pendere quæ omnibus communia sunt, ne via sternatur fructibus intercipientis qui ab Encyclicis litteris diei 3 maii 1858 saluberrime profluxerunt. Quod vero scribis a parochis Atrebatensibus templo suo opus nuncupatum denarium Sancti-Petri hac via excitari ac promoveri, id ipse Sanctus Pater gratissimo benignissimoque animo ab iis qui stipem hanc sponte conferre velint ex omni catholici orbis parte excipit, attamen, ob hanc causam quæ caritatem continet, nollet plane ea opera tolli vel imminui quæ officii necessitas exposcit atque adeo præscribit. Quibus animadversis non dubitat quod ipse per te videas causas abs te allatas tanti ponderis haberi non posse ut exemptio detur a lege, pro cujus implemento tam enixe et impense nuperrime Sanctus Pater institit. Quinimo quod parochi diocesis istius hætenus non sine laude fecerunt prosequendos esse posthac, te inculcante, confidit; neque enim latet salutarem hanc hostiam omnigenis a Deo impetrandis utilitatibus aptissimam esse et nominatim « pro » communi Ecclesiæ pace, pro recta mundi com- » positione, pro imperatoribus, pro militibus, aliis- » que » prout D. Cyrilli Hierosolymitani verbis usus aiebat ipse Sanctus Pater memoratis Encycl. litteris incip. *Amantissimi*. Hisce nomine Sacræ Congr. perscriptis, omne meum studium singulariter profiteor Amplitudini Tuæ, cui fausta quæque salutaria a Domino precor, Amplit. tuæ uti frater. P. card. CATERINI, præfectus. Romæ 28 febr. 1861. »

Qui duabus parochiis præficiuntur libenter colligent declarationem sequentem : « Beatissime Pater. Episcopus Aurelianensis ad S. V. pedes provolutus, humiliter exponit quod in diocesi Aurelianensi nonnulli, deficientibus heu! sacerdotibus, presbyteri duabus præficiuntur ecclesiis parochialibus, in quibus bis missam cantant diebus dominicis et festis feriatis in populo. Dubium ipsis est an missam celebrare teneantur specialem pro quolibet parochia diebus festis sed non feriatis in populo. Dominicis enim diebus et festis feriatis in populo nihil dubii est, siquidem bis tunc missam cantantes facile huic satisfaciunt obligationi. Ast diebus festis, sed non feriatis in populo, in quibus unicam tantum missam celebrant, possuntne illa unica missa satisfacere obligationi quæ ipsis incumbit pro duplici parochia? Num e contra tenentur dicere unam die festo pro una parochia et alteram postridie pro altera parochia? Notandum est quod unius tantum parochiæ fructus ratiunt suos, accipientes solummodo exiguum a gubernio supplementum (200 francos) pro altera parochia in qua non resident. Et Deus... — Die 16 jun. 1862. Sanctiss. D. N. audita relatione infra scripti prosecretarii S. Cong. conc. attentisque peculiaribus circumstantiis, benigne commisit episcopo Aurelian. oratori ut indulgere valeat ut unica missa

diebus festis suppressis celebranda, applicanda tamen pro plebe utriusque paræciæ, satisfieri valeat ab enuntiatis parochis duplici obligationi, usque dum aliter a Sancta Sede declaretur; contrariis non obstantibus quibuscumque. P. card. CATERINI, præfectus. Petrus archiep. Sard. prosecretarius.

Die etiam 16 jun. 1862, in gratiam parochorum qui, bis missam cantantes diebus dominicis et festis, unam applicaverant pro omnibus diversarum parochiarum fidelibus, et pro altera perceperant honorarium, præfatus episcopus Aurelianensis aliud impetravit indultum vi cuius pro suo arbitrio et conscientia unicuique parochio absolutionem et condonationem quoad præteritum gratis imperitari potuit, cum onere tamen celebrandi unicam missam.

Die 14 dec. 1859, S. C. concil. ad dubia posita ab episcopo Petrocorensi et Sarlatensi sic rescribendum censuit :

« I. Utrum parochus infirmitate detentus et diebus dominicis aliisve festis ea de causa impeditus missam celebrare, teneatur per alium supplere his ipsis diebus, si adsit alius sacerdos; aut post recuperatam sanitatem missas omnes sic non applicatas offerre ipse pro populo? — Affirmative ad primam partem, et negative ad secundam.

» II. Utrum parochus iter aliquod die festo agens et eo die missam celebrare prohibitus, missam omissam altero die pro populo supplere teneatur? III. Utrum parochus, pia peragens exercitia secessus ecclesiastici quæ quotannis, jussu episcopi et quidem perutiliter peraguntur in seminario diocæsano, et, durante horum exercitiorum tempore, missam die festo aut dominico non celebrans, teneatur missas hoc tempore non oblatas pro populo deinceps supplere? — Teneri die statuta per alium, citra speciale indultum S. Sedis. »

Die 13 januar. 1858, in responso S. Congr. concil. ad episcopum Nanceiensem et Tullensem, declararunt EE. PP. « Juxta alias resoluta differri posse applicationem missæ pro populo ad diem sequentem, toties quoties die esto occurrat applicatio pro funere alicujus defuncti vel pro sponsis, nec aliud adsit sacerdos cui commode committi possit applicatio missa pro populo. » Extract. ex synodo Cameracensi 17 sept. 1858, et *Ord. div. offic. pro dioc. Lenom.* anni 1861.

ADNOTATIO XLIII.

Lib. III. Decretal. Tit. XLI, n. 30; pag. 182.

DE LITURGIA ROMANA IN GALLIIS ETATE NOSTRA RESTITUTA.

Nobis esset in votis hic omnia documenta ad rem facientia fideliter inserere, sed, ut brevitati consulatur, præcipua tantum seligere cogimur.

Concilium provinciæ Remensis in Suessionensi civitate celebratum anno 1849, tit. III, cap. 8, si

se habet : « Nemo ambigit summopere curandum esse ut in Ecclesiæ catholicæ liturgia unitas præscripta servetur, confirmetur stabilitas, tutissimaque cautione provideatur ne doctrinæ pietatisque integritas in libris liturgicis directe vel oblique læsa videri possit. Cujus saluberrimæ regulæ auctoritas neglecta est, deperditumque beneficium, dum in nostra provincia irrepsit illa consuetudo ut episcopi in ecclesiis, quæ ab initio cum cæteris veteri romano more horas canonicas dicere ac psallere consuevissent, privatum quisque sibi breviarium confecerint, et illam communionem uni Deo una et eadem formula preces et laudes adhibendi, dissimillimo inter se ac pene cuiusque episcopatus proprio officio discernerent. Iisdem igitur de causis quibus hanc consuetudinem infaustam noxiamque fuisse constat, maxime optandam judicamus ritus antiqui et universalis restitutionem, observationemque constitutionum S. Pii V immortalis memoriæ qui, breviora et missalia in usum Ecclesiarum romani ritus ad mentem concilii Trid. emendatus edendo, abolevit quæcumque alia vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel ab episcopis in suis diocesis pervulgata, nisi dioceses a bis centum saltem annis uti consuevissent breviario aut missali ab illis diverso. Cesset ergo periculosissima illa librorum liturgicorum commutandi facilitas, haud ita pridem apud nos invecata. Curant proinde episcopi ut, ubi opportuna idoneaque fuerit occasio, breviarii et missalis romani usus in omnibus nostræ provinciæ ecclesiis salubri ordinatione reviviscat, nisi tamen aliqua sit Ecclesia quæ exceptionis a Pio V determinatæ privilegio potiatur. »

Concilium Avenionense, anno 1849, tit. II, cap. 7 : « Omnium ferme in votis est ut unitas formarum orationis publicæ sacrarumve liturgiarum ubique, præsertim in Gallia, inducatur ac statuatur. Nec desunt votis istis urgentissimæ rationes scilicet cum fides Ecclesiæ oratione publica et ritibus sacris exprimat ac veluti prædicetur, est certe maxime congruum ut, quandoquidem est una fides, sit una orationis ac rituum publicorum forma unave liturgia. Nihil insuper utilius est et efficacius ad fovendam, roborandam et augendam in mentibus fidelium unitatem fidei quam uniformitas liturgiarum, cum liturgia ecclesiastica unum sit ex præcipuis traditionis catholicæ instrumentis ac veluti organis. Nec quemquam latet semper exoptasse, et juxta Trid. concil. decretum, multum insudasse SS. Pontifices ut Romanæ Ecclesiæ ritus in omnes, quantum sinebat rerum ac temporum conditio, Occidentis Ecclesias introducerent. Sic S. Pius V, Gregorius XVI, Pius IX multipliciter ac sæpius verbis ac scriptis suum ea de re animum manifestarunt ac testati sunt. Accedit etiam pro hac Avenionensi provincia necessitas iis non levibus occurrendi incommodis quæ ex eo nascuntur quod ejus in diocesis etiam singulis, utpote quæ ex multis antiquarum dioceseon partibus constant, plures vigeant liturgiæ. Itaque

hiscæ rationibus permoti, atque imprimis voci supremi Pastoris sollicitè obtemperantes, hujus synodi Patres, in quorum diocesis non viget liturgia romana, curabunt ut, quando idonea data fuerit occasio, Romani missalis, Ritualis et Breviarii usus in eis reviviscat et accurate servetur. Interea nihil in privatis liturgiis innovetur quod liturgiæ Romanæ instaurationi obstet. »

Concilium Albiense, anno 1850, tit. IV, cap. 4 : « Cum juxta B. Cælestinum Papam « legem credendi statuatur lex supplicandi » et periculosissima sit ex Gregorio XVI facilitas librorum liturgicorum commutandi, valde optanda est illa, de qua loquitur sanctæ mem. Pius V, communitio uni Deo una et eadem formula preces et laudes adhibens ut, ad mentem B. Pauli, uno ore honorificemus Deum (Rom. xv). Itaque statuit et decernit synodus restituendum, statim atque opportune fieri poterit, in tribus diocesis, in quibus nondum usus obtinuit, ritum antiquitatem et universalitatem venerabilem quem servat omnium mater et exemplar Ecclesiarum Romana Ecclesia. Qua ratione non tantum eadem fide, sed et eadem cultus forma securius adunati, omnipotenti Deo laudes unanimiter persolvemus. Operam igitur navabunt episcopi ut dato idoneo rerum concursu, Breviarium, Missale totamque liturgiam Romanam, juxta præscripta SS. Pontificum, ad mentem sacros. conc. Trid. emendatam, religioso amplectantur obsequio. »

Concilium Burdigalense, anno 1850, tit. II, cap. vii, n. 1 : « Quod jam pridem in singulorum mentibus erat id ore uno profiteremur ad integritatem doctrinæ pietatisque servandam plurimum referre liturgiæ unitatem. Unde SS. Pontificum, præsertim S. Pii V constitutionibus obsequentes et præcedentium conciliorum hujus provinciæ decreta renovantes, præcipimus ut usus liturgiæ Romanæ per totam provinciam reviviscat et in posterum servetur. Episcopi dioceseon quæ voto Sanctæ Sedis obtemperare nondum potuerunt, dabunt operam ut, quamprimum fieri poterit, totius liturgiæ Romanæ usum restituant. »

Concilium Senonense, anno 1850, tit. III, decr. 10 : « Nos illam considerantes liturgiarum diversitatem quæ in provincia nostra, et in singulis etiam ejus diocesis viget, utpote ex antiquis diocesis coalescentibus, ducimus opportunum ut « ea quæ fuerunt a sacros. Romana Ecclesia » cæterarum ecclesiarum matre ac magistra tradita ubique complectantur omnes et observent » (Bulla *Quo primum* S. Pii V); ut scilicet quamprimum fieri poterit admittantur a singulis provinciæ diocesis Breviarium et Missale jussu Pii V et Urbani VIII edita. Dum autem dioceseanas liturgias sic dimittimus, tendimus ad illam unitatem demonstrandam quam Christus moriturnus expetebat orans ut discipuli « sint consummati in unum, » sectamur « unitatem Sedis Apostolicæ et » sanctæ Dei Ecclesiæ pacificam concordiam » a Patribus nostris celebratas (Capit. Aquisgr. anni 789); providemus ut firmiter et securius « legem

» credendi statuatur lex supplicandi, » secundum S. Cælestini monitum ad episcopos Galliæ; « carum vobis demum ut cesset periculosissima librorum liturgicorum immutandi facilitas. » (Gregor. XVI ad archiep. Remensem, anno 1842.) Proinde Romani Breviarii, itemque Missalis usum ab omnibus ad quos spectat teneri unusquisque nostrum curabit pro temporum et locorum opportunitate. »

Concilium Aqueense, anno 1850, tit. XI, cap. 2 : « Cum « legem credendi statuatur lex supplicandi » (S. Cælestinus, *Auct. de Grat.* n. 8, conc. Hard. T. I, col. 1237) proindeque libri liturgici non minus doctrinæ fontes sint quam pietatis, summopere optandum est ut, quemadmodum per fidei unitatem miro splendore lucet Ecclesia, ita per ritus et precum uniformitatem omnium oculis effulgeat. Ideoque eandem ac Ecclesia Romana omnium ecclesiarum magistra materque fidem habentes, eandem disciplinam et eundem officii divini modum habeamus. Renovantes igitur synodi Aqueensis anni 1855 decretum, quo juxta mentem conc. Trid. et S. Pii V constitutionem præscripta fuere in tota provincia Breviarium Missaleque Romanum hæc statuenda judicavimus. Curent episcopi provinciæ nostræ ut, pro opportunitate et sapientia sua, ritum Romanum in sua diocesi, si forte alicubi non vigeat, introducant, illumque ab omni clero sive in privatis, sive in publicis officiis servari jubeant, salvis tamen a Sancta Sede concessis vel concedendis. »

Concilium provinciæ Bituricensis, in urbe Claramontana celebratum anno 1850, condidit decretum « De unitate liturgica inducenda » cujus tenor sequitur : « Liturgiæ, quæ in provinciâ nostram inducitur est, varietati mederi et periculosissimæ commutandi librorum liturgicorum facilitati obviam ire solliciti (Litt. Gregorii PP. XVI ad archiep. Rem. 1842), necnon et constitutionibus immortalis mem. S. Pii PP. V prorsus obsequi (Const. *Quod a nobis*, 1868, et const. *Quo primum*, 1870) et quod in votis est Sanctiss. ipsius successoris D. N. Pio PP. IX corde toto adimplere, sic iteratum amantissimo Patri et pietatis testimonium et solamen et gaudium allaturi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ liturgiæ antiquitate, stabilitate et universalitate venerabilem, apostolica auctoritate sacram, quam citissime et in perpetuum suscipiendam statuimus. Extantibus autem quibusdam nunc pro locorum diversitate difficultatibus, curabunt synodi Patres, quorum in diocesis hactenus non viget prælaudata liturgia ut, ubi opportuna occurrerit idoneaque videbitur occasio, Breviarii Missalisque Romani usus in omnibus suis Ecclesiis salubri ordinatione instauretur. »

Concilium Auscitanum, anno 1851, tit. III, cap. viii, n. 137 : « Liturgiæ unitatem et ritus antiqui restitutionem atque observantiam maxime optandam judicat Auscitana synodus ut uni Deo una eademque forma preces et laudes persolvantur. Ideo invalescentem undequaque ad amplectendam

Romanam liturgiam propensionem lætanter et plausu magno conspiciamus. Si nos ipsi non levibus huc usque impedimentis prohibiti sumus et adhuc prohibeamur ne in tota provincia Romani ritus instaurentur, communi saltem consensu statuimus ad hoc totis viribus eniti ut prædicta illa impedimenta submoveantur, et ubi opportuna se præbuerit occasio Breviarii et Missalis Romani usus in omnibus ecclesiis nostris salutari ordinatione reviviscat. »

Insuper dum celebraretur concilium Parisiense anno 1849, Patres litteras ad Sanctiss. D. N. Pium PP. IX direxerunt pro recognitione decretorum ab eis conditorum juxta constitutionem Sixti PP. V. in quibus hoc legimus : « Est et aliud votum, Beatissime Pater, a Parisiensi concilio emissum, quod ipsius decreta expressis verbis non continent sed amanter in sinum Paternitatis Vestræ effundimus. Liturgiæ unitatem respicit illud votum. Plausu magno conspiciamus invalescentem undequaque ad amplectendam Romanam liturgiam propensionem. Si insuperabilibus huc usque obstaculis prohibiti sumus ne ipsi nos piis hujusmodi conatibus consociemur, communi saltem consensu statuimus ad hoc eniti ut illa submoveantur obstacula. Istius generis mutationes, quæ consuetudines antiquo in populo pervulgatas revocant, non sine quodam animorum æstu attentantur. Necesse est ut cum multa sapientia et prudenti cunctatione illis præparetur via. Licet tamen forsitan hodie sperare non procul abfuturum tempus quo omnis Parisiensis ecclesiastica provincia hoc S. V. cordi solatium afferet ut solemniter in ecclesiis Romanos ritus instauret. Verum enim vero B. V. benignitati confidenter subjungere non dubitamus novarum liturgiarum defensoribus brevi defuturum esse etiam alicujus momenti pretextum si, ut sæpe sæpius sibi proposuit S. Sedes, nova Breviarii Romani recognitio fieret; tunc et facilis et multo celerius ad communem precam formam reversuros omnes arbitramur. Quidquid sit, Beatissime Pater, cum ex intimo pectore unitati devinciamur omnes, hanc etiam in his quæ solam disciplinam spectant fovere non desistimus. »

Die 11 dec. 1849, D. N. Pius IX archiepiscopo Parisiensi aliisque antistitibus Parisiensis provinciæ his verbis quoad liturgiam rescribere dignatus est : « Non mediocri certe animi nostri consolatione ex ipsis vestris litteris cognovimus ita vos exoptare, VV. FF. ut Romana liturgia, quæ summo nostro gaudio in pluribus Galliarum diocesis jam invaluit, in vestris quoque restituatur diocesis, ut communi consensu constitueritis vestram omnem operam opportune, provide prudenterque impendere in iis amovendis difficultatibus quæ hactenus obstiterunt quominus hanc rem ad optatum exitum perducere possetis. »

Patres concilii Rothomagensis anno 1850 habiti nihil de liturgia statuerunt, quapropter Eminen-

tiss. cardinalis Maius, die 19 jul. 1851, hoc tenore scripsit ad metropolitanum : « Optatissimum autem fuisset huic congregationi ut ejusdem synodi Patres, vestigiis inherentes synodi anni 1581 in qua plura de Missali et Breviario juxta constitutionem S. Pii V statuta sunt, aliquid de Romana liturgia in pluribus Galliarum diocesisibus jam restituta, ac in nonnullis recentissimis provincialibus conciliis sancita, decrevissent. Verum minime dubitat S. C. quin de hac re in proximo provinciali concilio agatur. »

Nil etiam ea de re decreverunt Patres concilii Lugdunensis anno 1850 habiti; sed jam ab anno 1854, litteris datis ad Eminentiss. cardinalem de Bonald archiepiscopum Lugdunensem, D. N. Pius IX apertissime declarabat Breviarium et Missale Lugdunense a legitima auctoritate minime prodire ac proinde omnino immutanda esse, ut constat ex litteris Eminentiss. card. Patrizi ad eundem archiepiscopum die 23 januarii 1863 directis. Ut probe intelligantur illæ litteræ, lector in mentem revocare debet epistolam quamdam circularem cui plures parochi Lugdunenses subscripserunt, quamque miserunt canonicis ecclesiæ metropolitanæ necnon directori seminarii Sancti Sulpitii, die scilicet 10 decembris 1862, cujus tenor vernaculo sermone sequitur :

« Monsieur le Chanoine, — Les journaux nous ont révélé une tentative qui nous inquiète et nous afflige. Il serait question de composer un Propre à l'usage des prêtres étrangers à Lyon qui y résident. Comme vous êtes, Monsieur le Chanoine, canoniquement appelé à vous occuper de cette question, nous vous prions de vouloir bien écarter, par vos conseils et votre décision, une mesure que vous regardez, ainsi que nous, comme inutile et très-funeste. Si les prêtres non diocésains tiennent à avoir le Propre lyonnais, ils le trouveront dans nos Bréviaires, nos Antiphonaires et nos Missels. La composition de ce Propre ne serait, en apparence et en réalité, qu'un préparatif pour nous dépouiller de notre Bréviaire et de notre Liturgie, dans un moment donné. Le changement du Bréviaire amènerait nécessairement celui du chant et de la Liturgie. Ce Propre serait aussi un moyen de faire passer au Romain les jeunes ecclésiastiques du diocèse, au grand détriment de la paix et de l'unité.

« Nous avons écrit à Son Eminence et à Monsieur le supérieur de Saint-Sulpice pour protester contre ce projet; nous vous prions d'unir vos efforts aux nôtres. Il ne s'agit pas de s'absentir; veuillez vous opposer, autant qu'il est en vous, à un projet qui persévère, qui fait un pas menaçant et qui ne vient ni du cœur de notre Archevêque, ni de celui de Pie IX, lequel tolère les institutions liturgiques de Lyon aujourd'hui, comme le pape Eleuthère les approuvait du temps de saint Irénée.

« Nous sommes avec respect, Monsieur le Cha-

noine, vos très-humbles et très-obéissants serviteurs.

» VALADIER, curé de Saint-Irénée; CHAUMONT, curé de Saint-Polycarpe; CHABERT, curé de Saint-Louis de Lyon; NAPOLIER, curé de Saint-Eucher, à Lyon; BISSARDON, curé des Chartreux; TAMAIN, curé de la Rédemption; DUPERRAY, curé de Saint-Charles; ARTRUS, curé de Saint-Louis; MERLEY, curé de Sainte-Blandine; CLUZEL, curé de Saint-André; CHAPUIS, curé de la Guillotière; DEVIENNE, curé de Saint-François; GOUTHE-SOULARD, curé de Saint-Vincent-de-Paul; MICHEL, curé de Saint-Maurice; BOUÉ, curé d'Aynay; CALLOT, curé du Bon-Pasteur; AUG. COUDOUR, curé de l'Immaculée-Conception; GUILLOT, curé de Saint-Just; VINCENT, curé de Saint-Pierre de Vaise; GORAND, curé de Saint-Pierre de Lyon; GUIRAUD, curé de Saint-Pothin; SERVENT, curé de Saint-Georges; PARREL, curé de Saint-Augustin; REUIL, curé de l'Annonciation; CLARAT, curé du Sacré-Cœur; PUIPIER, curé de Saint-Paul; BARJOT, curé de Saint-Nizier; MARION, curé de Saint-Bonaventure. »

Nunc legantur litteræ Eminentiss. card. Patrizi, die 23 januarii 1863 datæ :

« Eminentiss. et Reverendiss. Domine. — Dum Sanctissimus Dominus Noster Pius, Papa IX, resciret et probaret Eminentiam Vestram, in capitulari conventu, habito die 11 novembris anni mox elapsi, delegisse commissionem ad efformandum, juxta regulas liturgicas sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Proprium sanctorum istius Lugdunensis Diocesis in usum directorum seminarii Sancti-Sulpitii, capellanorum Ecclesiarum parochialium, aliorumque ecclesiasticorum, etiam communitatum, qui intra fines ipsius Diocesis Horas canonicas jam recitant vel recitare desiderant juxta Breviarium Romanum, non sine admiratione vidit contra saluberrimum consilium istud reclamasse parochos Lugdunenses numero plures, qui, agmine veluti facto, nec servata Canonum disciplina, subscripserunt epistolæ circulari transmissæ directori seminarii Sancti-Sulpitii, Canonicis ab Eminentia Vestra delectis ad concinnandum hoc Proprium, cæterisque Capitularibus. Hæc porro inconsiderata circularis, præter censuram mandatorum proprii ordinarii, cui in sacra ordinatione reverentiam pariter et obedientiam professi sunt, nullo sub respectu conformis dici potest volumati ejusdem Summi Pontificis qui, ab anno 1854 litteris datis ad Eminentiam Vestram, apertissime declaravit Breviarium et Missale Lugdunense a legitima auctoritate minime prodire ac proinde omnino immutanda. Quod si deinceps Sanctitas Sua ea adhuc adhibere permisit, veniam istam intra simplices temporaneæ tolerantie limites circumscriptis, nec unquam voluit eam esse perpetuam, veluti arbitrantur reclamantes Paro-

chi; imo, amantissimis verbis et Eminentiam Vestram, et quos alloqui potuit de clero Lugdunensi, opportune cohortari non destitit ad assumptionem Liturgiæ Romanæ, ut sic plenius præstarent obsequium Romanæ Ecclesiæ Matri et Magistræ veritatis.

Hiscæ prænotatis, pro mei muneris ratione, oro obtestorque Eminentiam Vestram ut inceptum opus quam celerrime ad optatum finem deducat; nulla habita ratione questuum illorum, quos sperare licet jam facti pœnituisse, et modo cum reliquo spectabili et multis nominibus commendabili clero Lugdunensi, felici æmulatione adlaboraturos ut, ulteriore quacumque difficultate remota, quantocius in diocesi etiam Lugdunensi in sua integritate inducatur et constabiliarum Liturgia S. Romanæ Ecclesiæ. Interim E. V. manus humillime deosculor; humill. demississimus servus verus. — C. Episcopus Portuens. et S. Rufinæ Card. Patrizi, S. R. C. prefectus. D. Bartolini. S. R. C. secretarius. »

Deinde per litteras apostolicas, die 17 martii 1864, emanatas, decretum fuit quod in Lugdunensem diocesis liturgia romana sensim induceretur, quarum textum libentissime hisce paginis inserimus :

« Dilecto filio nostro Ludovico presbytero S. R. E. cardinali de BONALD, archiepiscopo Lugdunensi Pius PP. IX.

« Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem. Non mediocri animi nostri molestia noscebamus, dilecte filii noster, antiquam Lugdunensis Ecclesiæ liturgiam pluribus mendis misere fuisse corruptam ab uno ex tuis prædecessoribus, qui id agere minime dubitavit non solum contra sapientissimam sancti decessoris nostri Pii V constitutionem incipientem « Quod a nobis postulat » ac septimo idus julii anno millesimo quingentesimo sexagesimo octavo editam, cui universus catholici orbis clerus obedire tenetur, verum etiam contra sententiam et expostulationes collegii illius temporis metropolitani Lugdunensis templi canonicorum, qui adversus novitates ad eodem tuo prædecessore in ipsam liturgiam perperam inductas solemniter reclamare, ac protestari haud omiserunt. Nos itaque de illustris Lugdunensis Ecclesiæ splendore, deque commemorate Pii V constitutionis observantia vehementer solliciti te, dilecte fili noster, omni studio excitavimus, ut præclara omnium fere clarissimorum Gallie sacrorum antistitem exempla æmulans, nostrisque obsequens desideris, Romani Missalis et Breviarii usum in Lugdunensem diocesis tuæ curæ commissam induceres. Atque eodem tempore tibi significavimus a nobis permitti ut vetus Lugdunensis Ecclesiæ liturgia, ab omni tamen labe purgata, posset etiam in posterum conservari. Quibus justissimis nostris votis pro eximia tua erga nos et hanc Apostolicam Sedem fide ac reverentia obsecundans, ac probe noscens quomodo Lugdunensis tuæ ecclesiæ liturgia fuisset deformata, manum operi, summa alacritate libentissimoque animo, admo-

visti, ac propria tuæ diocesis Sanctorum, uti vocant, officia una cum calendario conficienda curasti. Hinc, dilecte fili noster, Romam te contulisti, ut omnia supremo nostro, et hujus Sanctæ Sedis judicio ex majorum more subijceres, et hujusmodi negotium ad optatum exitum adduceres.

« Nos igitur idem kalendarium et officia nostræ Congregationi legitimis ritibus cognoscendis præpositæ examinanda commisimus, eideraque Congregationi in mandatis dedimus ut priscam Lugdunensis Ecclesiæ liturgiam ab omnibus novitatibus, quibus illam tuus prædecessor infecerat diligenter expurgaret. Rebus autem omnibus ab eadem Congregatione diligentissimo examine perpensis et accurate ad nos delatis, veluti optime agnoscis, statutum fuit ut in Lugdunensem diocesis Romanum Missale et Breviarium sensim induceretur, utque vetusta Lugdunensis Ecclesiæ liturgia, omnibus mendis penitus eliminatis, posset futuris quoque temporibus servari.

« Dum vero ea spe nitēbamur fore ut hujusmodi res, quæ bonis omnibus ac præsertim Lugdunensibus summam attulit lætitiā, secundum nostram ac tua desideria sine ulla molestia prospere succederet, dolere debuimus improbandam nonnullorum Lugdunensium parochorum agendi rationem. Hi enim vel ab ipso hujusce negotii exordio minime veriti sunt in hac re, cujus iudicium ad supremam nostram, et Apostolicam hujus Sedis auctoritatem unice pertinet, nostram ac tuam voluntati obsistere. Neque extimuerunt tum per libellos typis editos, et erroribus infectos, et in hanc Sanctam Sedem, ac in venerabiles fratres Gallie sacrorum antistites maxime injuriosos, tum per publicas ephemerides huic Sanctæ Sedi adversas spectatum Gallie clerum nobis, et huic Petri cathedræ addictum, contra Romanæ Ecclesiæ liturgiam inter alia excitare. Quæ parochorum contumacia eo magis est redarguenda, quod cum aliqui ex ipsis in hanc almam Urbem nostram venissent, et in conspectum nostrum fuissent admissi, paternis nostris monitis et exhortationibus acquiescere noluerunt, quibus prompto alacrique animo obedire debuissent, quemadmodum ecclesiasticos viros omnino decet.

« Quapropter, ut hujusmodi res ex nostris tuisque votis suum tandem assequatur exitum, has tibi scribimus litteras, quibus denuo nostram voluntatem clare aperteque significamus. Etenim volumus, præcipimus et mandamus ut, veluti fuit constitutum, in Lugdunensem diocesis, Romanum Missale et Breviarium sensim inducatur, ut scilicet ii omnes, qui in posterum sacro subdiacônatus ordine rite fuerint initiati, teneantur et canonicas horas recitare juxta Romanum Breviarium, et illa Sanctorum officia a te confecta, et a nostra Sacrorum Rituum Congregatione approbata, et Romanum etiam Missale adoptare. Concedimus autem et indulgemus ut antiqua Lugdunensis Ecclesiæ liturgia ab omnibus memoratis novitatibus